UC 315

1er. Legajo. núm.o 50.

136. N.º 4

UC 3151

Dissertatio

in Canonem primum Concilii Barcinonensis anni 540.

Canon 1. Psalmus quinquagesimus ante Canticum dicatur.

Laterem, ut aiunt, laverim, qui rem difficilem, ac perobscuram, multisque annorum centuriis involutam adgrediar, quam nemo alius, quod equidem sciam, explicare conatus est. Nam Conciliorum collectores, qui prolixioribus excursibus, longisque sæpe dissertationibus, notos canones et intellectu facillimos suis commentariis illustrarunt, in hunc Canonem Barcinonensem nihil prorsus commentati sunt. Certe vel non omnia possumus omnes, vel Divina procuratione fuit, ut priores posterioribus aliquid reliquerint, in quo elaborare quoque ipsi, et exercere utiliter ingenium possent. Hanc igitur partem relictam explebimus nullius adminiculo, sed, ut dicitur, marte nostro. Atque re perfecta, et absoluta, sententiam nos dixisse arbitrabimur, non perspicuam, certam, constantem, sed probabilem, verosimilem, minimeque absurdam.

Memini me, quondam hunc Canonem assidue meditatum de cantico graduum accepisse, et de toto nocturno officio, quod, quoniam Gothico more a psalmo quinquagesimo ordiebatur, psalmus quinquagesimus dici poterat, haud absimili modo atque a Jurisperitis initia capitum pro totis capitibus allegantur. Hac ergo suasione indutus videbar mihi videre, hoc canone constitutum, psalmos graduales non ante nocturnum officium, sicut antea forsan consuetum erat, sed postea recitandos. Id quod Patres Concilii Barcinonensis jure suo facere poterant. Nam consuetudo recitandi numerum psalmorum ante officium Canonicum viris piis, et experientibus importuna visa est, propterea quod obrueret intellectum, et spiritum exhauriret. Qua de causa sublatus est tandem mos antiquiorum, qui nocturnas vigilias, audito signo, trina oratione præveniebant. Alii tria quidem signa pulsabant: inter primum, et secundum altaria visitantes septem psalmos pœnitentiales cum tribus orationibus dicebant; inter secundum, et tertium psalmos graduales quindecim cum quibusdam precibus in choro stantes recitabant. Hoc loco hujus prævia recitationis Pater, et Credo Divino

officio hodiedum praemittitur. Cuius rei primum vestigium vidit Edmundus Martenius in libro usuum Cisterciensium.

Lib. 1. de antiquis Monachorum ritibus cap. 1.

Hic satis mirari non possum accuratam diligentiam maiorum nostrorum, qui constitutionem de officio Ecclesiae ita edidere: audito primo signo surgant fratres dicendo officium B. M. V. Tantaque erat convenientia inter signum campanae, et officii inceptionem, ut ne fratribus tempus supponendis pedibus calceis relinqueretur. Id quod unice de sequmento ipsis deerat. Nam tunc omnibus vestibus albis induti jacebant. At cum aliquantulum indecens illud deinceps videretur, in Capitulo Generali Parisiis celebrato 1241. ita ordinatum est: Fratres nostri horas B. M. V. incipiant calceati. Et sequenti anno 1242. Bononiae illa de officio Ecclesiae constitutio in hunc modum temperata,, Ubi dicitur audito primo signo surgant fratres dicendo &c. ,, deleatur dicendo, et addatur stando dicant matutinas de ,, B. V.,,

Constitutiones Ord. Pred.rum dist. 1. c. 1.

Sed ad rem nostram redeundo, illa, quam superius dixi, Canonis Barcinonensis acceptione eo libentius delectabar, quod in posterioris aevi monumentis perpetuo animadverterem psalmos graduales[+] ante canonicum officium cotidie recitatos. Sic in constituto de proprio sacerdote singulis Sedis Barcinonensis altaribus octo deputando, hac habentur: Et iidem Presbiteri a Canticis graduum usque ad Completorium vobiscum debeant Divinis obsequiis interesse. Est autem hoc constitutum Guilelmi Torroja ex Episcopo Barcinonensi Archiepiscopi Tarraconensis, privilegio Alexandri III. roboratum. Sic etiam in constitutionibus Bernardi Peregrini ex Ordine Minorum Episcopi Barcinonensis, quas pro reformatione Capituli eiusdem Ecclesiae edidit 1288. legitur: Statuimus, et perpetuo ordinamus, quod omnes Clerici Beneficiati continue, et assidue intersint omnibus horis Canonicis in ipsa Ecclesia a Cantico graduum usque ad Completorium. Sic demum in institutionibus Beneficiorum Sedis Barcinonensis saeculi XII. et XIII. hoc passim onus injunctum legitur Presbitero, ut intersit cotidie Divinis Officiis in ipsa Sede a Cantico graduum per omnes horas usque ad finitum Completorium.

[+] in hac provincia tarraconensi

Privilegium Alex. 3. et constitutiones B. P. exhibet Martene to. 4. thesaur. novi anecd. ex M. S. Ecclesia Avenionensis.

Atque in Breviario Ecclesiæ Ilerdensis, quod nitidis caracteribus
in membrana pergamena exaratum bibliotheca PP. Discalcea-
torum huius Civitatis adservat, prima regula (quam nos Rubricam
nominamus) in hunc modum habet: Mane surgimus ad Ma-
tutinas, et facta oratione incipimus Canticum graduum.... Et
secundum istum modum dicitur semper Canticum graduum
... Quo dicto dicuntur Matutinæ B. M.... et.... dictis Matu-
tinis B. Mariæ, dicuntur Matutinæ maiores. Hoc autem Bre-
viarium etsi fuerit scriptum anno 1419. eius tamen autogra-
phum multo crediderim antiquius, et primum forsan, postquam
abrogato officio Gothico, Romanum officium in hanc Provin-
ciam invectum est. Quod non esset difficile ostendere, nisi quod
in hoc nostra non versatur oratio.
Illud est præsentis instituti
advertere, quod in his, quæ protulimus monumentis, canticum
graduum ante nocturnum officium recitandum præscribitur;
PP. autem Concilii Barcinonensis contra, et ut nos quidem
contendimus, scite, prudenterque, postponendum edixere. Sed pro-
na est ratio discriminis. Nam sæculo VI. nocturnum officium
suo tempore, hoc est media nocte, vel paulo post mediam noctem
persolvebatur. A sæculo autem VIII. hæc observantia remitti
cœpit, et nocturnum officium in mane sequens rejectum est,
ex quo tempore nocturnum officium matutinum officium
est appellatum. Sane in hac Provincia usus iste videtur
invaluisse. Perpende verba Breviarii Ilerdensis: Mane
surgimus ad Matutinas. Quidni ergo PP. Concilii Barcino-
nensis medio circiter sæculo VI. nocturnum officium Canti-
co Graduum præmittendum sancirent? Nam Canticum
graduum diei officium est, non noctis. Divisio quippe Di-
vini officii in nocturnale, et graduale notior est, quam ut
operam nostram, diligentiamque desideret.
Atque hæc qui-
dem, ut supra dixi, Canonis Barcinonensis explicandi for-
ma mihi quondam maxime in deliciis fuit. Sed modo rem
hanc diligentius consideranti visum est, quod in obscuro ne-
gotio plus nimio conjectationibus, ne dicam divinationibus
indulserim. Quamquam enim Canticum graduum an-
tiquitus fuerit per Ecclesiam frequentatum, sexto tamen
sæculo in nostra Ecclesia Barcinonensi cotidie recitatum,
res est, quæ dici potest, probari autem non potest. Deinde
etsi Gothicum officium, quale hodie habetur, a psalmo So-

ordiatur, vereor tamen, ne illo saeculo ita sit auspicatum. Cuius praeter alias rationes, hanc maximam habeo, quod olim officium Gothicum duodecim horis constabat diurnis, praeter alias nocturnas, in principio noctis, ante lectum, media nocte, et in surrectione lecti. Altissimum apud omnes de eis silentium. Parvam parumque notitiam suppeditavit ex antiquis, nescio quibus libris Alfonsus Ortizius Canonicus Toletanus ante regulam Breviarii Mozarabici, quod jussu Archiepiscopi Card. Ximenii correxit, edidique Toleti 1502.

Illam ex bibliotheca
Vallicellana exhibet
Josephus Blanchini-
us proleg. in to. 1. oper.
Card. Thomasii.
edit. Romae 1741.

Quamobrem nihil mirum, si in nostris breviariis officium nocturnum ceteris sit prolixius, cum in breviario Mozarabico sit omnium brevius. Nimirum officium illud truncatum est, et maxima sui parte imminutum. Sed ad illud tamen exigenda res est, cum de Ecclesiae Barcinonensis officio, sexto saeculo sermonem instituimus. Non enim, quod aliqui putant, officium Hispanum quod Gothicum dicitur, et Mozarabicum, Isidorianum, quoque Toletanum, et mixtum, VII. saeculo fuit a S. Isidoro Hispalensi fabricatum. Sed illud met ipsum est officium, quod viri Apostolici S. Jacobi discipuli a B. Petro in Hispaniam missi nobis Roma detulere. Quod si posterioribus saeculis Romano officio adeo dissimile inventum est, ut ne illius quidem speciem gerere videretur, hoc ideo est, quia mutationes, quas in Ecclesiae officiis Romani Pontifices, praesertim Leo, Gelasius, et Gregorius fecere, Hispania non admisit. Vetera semper retinuit. Et quoniam Patres nostri sec. VII. constanti traditione a prioribus accepta ut certum habuere; recentiores quoque non spernendis momentis suadere adgressi sunt, nos in praesentia dissimulamus. Sicut et illud etiam quod tota Hispania et sub imperio Romanorum, et sub dominatu Gothorum, et sub jugo Saracenorum officio illo primaevo usa est, si unam excepens provinciam Bracarensem, quae a Principibus Suevis oppressa, Priscillianistarumque turbis plus ceteris agitata novam liturgiam a Vigilio Papa an. 537. accepit, retinuitque usque ad Conc. Tolet. IV. ubi demum cum tota Hispania convenit. Ceterae autem Provinciae, quae tot mala non fuere perpessae, in suo semper officio permanserunt.

In cod. Emilianensi, qui
in Regia biblioth. Escurial.
adservat, fol. 395. repe-
rit quoddam instrument.
sec. VII. a Praesulibus To-
letanis Juliano, et Feli-
ce confectum de Missa
Apostolico-Hispana.
Vid. Florez dis. de liturg.
Hisp. to. 3. Hisp. Sacr.,
et in apend. Vide etiam
disert. de liturgia Hisp.
in actis H. to. 6. Julii.
Vide Alexandrum
Lesleum praef. in Mis-
sale Mozarab. edit.
Romae 1755.

Non diffiteor quin idipsum officium in aliquibus Ecclesiis fuerit aliquando interpolatum, nova rituum accessione, vel ex privatis Monachorum consuetudinibus, vel ex alienarum gentium, maxime Orientalium institutis. Quae tantisper in hac provincia praevalere potuerunt

propter coloniam Phocensium, quae Massilia Emporias immigrarat. Quin VI. saeculo ineunte tantus erat hic concursus ex Clero Graecorum venientium, propter causam scilicet Acacii; ut Hormisdas S. P. coactus fuerit constitutum mittere ad Joannem Metropolitanum

an. 517.

tarraconensem cum forma confessionis ab eis exigenda, antequam ad unionem Ecclesiasticam reciperentur. Accedit, quod Monachi tunc temporis non modo hanc provinciam incolebant, sed et ministeria ecclesiastica gerebant, ut habemus ex Concilio tarraconensi an. 516. Quibus potissimum de causis sacra omnia sus deque turbata, et maxima fuerant varietate confusa. Huic malo obstitit Conc. Gerundense an. 517. lato canone in hunc modum: De institutione Missarum, ut quomodo in Metropolitana Ecclesia fuerit, ita in Dei nomine in omni tarraconensi provincia, tam ipsius Missae ordo, quam psallendi, vel ministrandi consuetudo servetur.

Can. 11. Monachi a Monasterio foras egressi, ne aliquod ministerium Eccl. praesumant agere prohibemus, nisi forte cum Abbatis imperio.

Sacris igitur ritibus, et caeremoniis in pristinum gradum revocatis, et maxima totius provinciae gratulatione uno ordine in Ecclesiasticis officiis constituto, rursum Episcopi Nebridius Barcinon. Cassonius Emporitanus, Andreas Ilerdensis, Stafilius Gerundensis, Joannes Caesaraugustanus, Asellus Dertosanus cum Sergio Metropolita tarraconensi an. 540. Barcinonem ad Concilium venientes hunc canonem edidere: Psalmus quinquagesimus ante Canticum dicatur. Porro quodnam foret istud Canticum, quove in ordine Divini officii loco dicendum, quave ratione illi psalmum 50. praemittendum, hoc opus, hic labor.

Mihi nulla via nodo huic dissolvendo commodior visa est, quam si per singulas Divini officii partes discurrendo tandem exploremus, quandonam Canticum VI. saeculo diceretur. Nisi enim PP. Conc. Barcin. in edendis canonibus confusos valde faciamus, unicum duntaxat Canticum in Ecclesiastico officio tunc dicebatur. Psalmus, inquiunt, quinquagesimus ante Canticum dicatur. Profecto si plura Cantica forent dicenda, non Canticum nude sumptum, sed quale Canticum indigitarent.

Itaque celeberrima inter omnes Canonicas horas semper fuit vespertina Synaxis, cuius praecipua pars apud veteres erat Lucernarium. In ea psalmos dictos legimus, sed Canticum Magnificat dictum non legimus usque ad Amalarium Fortunatum Diaconum Metensem, qui sae. IX. libros de Ecclesiasticis officiis scripsit ad Ludovicum Pium. In Completorio autem etsi nos dicamus cotidie Canticum de Evangelio, sed iste peculiaris fuit Romanae Ecclesiae mos inductus longe post S. Benedictum, qui primum Completorium instituit, tamquam vespertinam orationem, dum cubitum

l. 3. c. 7. in ista Ecclesia mos inolevit, ut cotidie hymnus B. M. cum psalmodia vespertinae laudis ab omnibus cantetur.

itur recitandam. Praterquamquod tempore Conc. Barcin. quantum a-
nimo meo complector, non erat in Hispania hoc genus precationis, quod
dicimus Completorium. Id mihi significare videtur eiusdem Conc.
can. 2: Benedictio in Matutinis, sicut in Vespertinis tribuatur. Certe
non juberetur populus finitis Vesperis dimitti ab Ecclesia, si Com-
pletorium adhuc superesset dicendum.

Tertia, Sexta, Nona officium nostro
pene ritu, et ordine ab antiquis celebratum fuit, psalmis, preci-
bus, et lectionibus. Prima vero officium in Ecclesia prorsus inau-
ditum fuit ante Cassianum, qui sua aetate in Bethleemitico mo-
nasterio adserit institutum, ne Monachi inter Matutinum, et ter-
tiam somno indulgerent. Exinde ad occidentalem plagam fuit pro-
pagatum. At sae. VI. stante sicut in Gallia receptum non fuisse
colligitur ex S. Caesario Episcopo Arelatensi ceteras diurnas, nocturnas-
que horas, hac una excepta, numerante; potiori ratione discurrendum
est de Hispania nova semper renuente, antiquitatum suarum
tenacissima.

Cassianus vivebat an. 433. Post quem nulla eius in historiis mentio.

serm. 140. append. Augustiniana.

Restat ut de Matutino officio dicamus, quod erat o-
lim a Nocturnis sejunctum. Hi enim noctu dicebantur: Lau-
des vero summo mane. Hac est vera laudum significatio, Matu-
tinum scilicet officium, vel ut veteres Scriptores loquuntur, Ma-
tutina laudes. Matuta quippe Graecis idem est, quod nobis aurora.
Nil notius matutino officio apud antiquos. At vero de precibus in
eo dici solitis non item. De Romana Ecclesia tradit S. Benedi-
ctus Canticum unumquodque die suo ex Prophetis cecinisse. In-
ter quae celeberrimum illud trium puerorum, quod S. Benedictus,
aliique veteres antonomastice Benedictionem appellant. In Gal-
lia vero ad Matutinas laudes non modo canticum, sed et psalmum
quinquagesimum ante illud decantatum scimus ex S. Grego-
rio Turonensi, qui de S. Gallo Arvernorum Episcopo morti pro-
ximo ait: „adveniente die tertia, qua erat Dominica dies, albes-
„cente jam Caelo interrogat, quid in Ecclesia psallerent? Dixerunt
„benedictionem se se psallere. At ille psalmo quinquagesimo, et
„benedictione decantata, et alleluiatico cum capitello expleto,
„consummavit officium totum temporis Matutini.„ Canticum
igitur in Matutino officio, sicut Romana et Gallicana, absdubio Hi-
spana Ecclesia VI. saeculo decantabat. Fieri enim vix potest, ut
in dissitis Ecclesiis, gente, lingua, populo, et natione discretis, idem
omnino invaluisset, nisi ab eodem fonte promanasset, Romana
videlicet Ecclesia, a qua cetera Occidentales cum suis ritibus, et
officiis institutae sunt.

Regul. cap. 13.

De vitis PP. cap. 6. Fuit Greg. turon. Patruus Galli. Hic obiit circa an. 554.

Alleluiaticum est psal. 148. et duo sequentes, qui habent pro titulo alleluia. Et ab hoc psal. laudate dicit off. laudum. Capitellum, et capitulum lectio brevis a celebrante recitanda. Hac de causa illi non praemittitur jube, nec titulus.

Ad hac. In officio Mozarabico, quale ho-
die habemus, canticum in laudibus dumtaxat recitatur. Et li-
cet Matutinae uno spiritu cum laudibus dicantur, imo commu-
nicantur, et pro una, eademque re censeantur; eo tamen loco pra

Eugen. Robles de vita et gestis Card. Ximen. cap. 14. et seqq.

ferum Canticum, qui reliqua, quæ ad laudes spectant, antecedit. Quæ Cantici usurpatio non est nova: nam S. Aurelianus Episcopus Arelatensis qui an. 548. obiit, matutinos, hoc est laudes a Cantico incipiebat. Est autem Canticum in laudibus Mozarabicis veteris, aut novi testamenti tantum sola die S. Mariæ Magdalenæ duo Cantica dicuntur. Nec usquam in hoc officio audiuntur cantica *Magnificat*, et *Benedictus*, nisi in hoc loco. Quo loco dicitur *Magnificat* in officio B. M. V. et nocte nativitatis Dñi: *Benedictus* autem in festo S. Joannis Baptistæ. Non enim sicut nos hæc cantica recitant cotidie. Sed neque Romana Ecclesia id quod modo facimus, antiquis temporibus faciebat. De cantico *Magnificat* supra dictum est. De cantico *Benedictus* hoc scito, Romanam Ecclesiam a S. Benedicto morem accepisse cotidie recitandi. Id quoniam S. Benedictus fecit primus, non est operosius a nobis perquirendum. Tantum annotandum id, quod supra fusius dictum est, hos ritus Mozarabicos esse omnium antiquissimos, utpote ritus primitivos Ecclesiæ, et temporis Apostolorum.

Quæ cum ita sint, in comperto est, quid tandem PP. Conc. Barcin. sibi voluerint, cum psalmum quinquagessimum ante Canticum dicendum præscripsere. Videlicet matutinas laudes a psalmo quinquagessimo esse auspicandas. Cui statim erat subjungendum canticum veteris, vel novi testamenti; sive *Benedictionis*, sive *unumquodque ordine suo ex Prophetis*. Id quod in Gallia Aquitanica eodem prope tempore vigebat, et S. Benedictus paulo ante suis fieri præceperat. Idem modo Romana Ecclesia retinet, quæ cum agit de tempore a psalmo quinquagessimo laudes exorditur. Cur autem in festis a psalmo 92. in feriis vero a 50. ordiatur, rationem reddit Amalarius in libro de ordine Antiphonarii. Sed quæ allegorica est, et prorsus voluntaria.

Reg. c. 13. Hanc edidit in monte Cassino 529. Obiit vero 543.

cap. 5. de matutinali offic. cotidianarum noctium.

An autem psalmus quinquagessimus, ante canonem Barcinonensem, post canticum diceretur, vel omnino prætermitteretur, res est prorsus incerta. Id certum est, magno semper usui apud antiquos psalmum fuisse quinquagessimum, dum alii dicerent in principio vigiliarum, sicut fecere S. Cesarius, sanctusque Aurelianus; alii ante matutinum officium, de quibus satis, superque dictum est; alii vero expleto matutino officio, de quibus ait Cassianus: "Usque hodie per Italiam expletis laudibus matutinis, quinquagessimus psalmus in universis cantatur Ecclesiis." Quinimo alii post singulas horas inserebant litaniæ, hoc est brevibus sententiis ex psalmis exceptis, quas Conc. Agathense an. 506. *capitella psalmi* appellat; nos consueto vocabulo *preces* nominamus.

Reg. ad Soror. Cesariam, et sub ea degentes, quam exhibent Bolland. 12. Jan.

In sua regula.

lib. 3. de canonico diurnarum orationum, et psalmorum modo.

Agde urbs Galliæ Narbonensis.

Perspectis tot gravissimarum Ecclesiarum exemplis, nostra Ecclesia Barcinonensis, ac proinde tota Provincia Tarraconensis, psalmum quinquagesimum in capite Laudum dicendum elegit. Qui usus pro cul dubio prevaluit usque ad annum 633. quo, sub Sisenando Rege Sisenando, Episcopi sue ditionis 62. Toleti quartum Concilium facientes decreverunt, ut unus ordo in Ecclesiasticis Officiis per omnem Hispaniam, et Galliam Narbonensem servaretur. Dum ergo vel psalmus quinquagesimus est caput prætermitti, vel in

Can. 2. capite matutini officii rejectus. Quod tamen sine idoneo, et certo testimonio nollem asseverare.

Atque hæc sunt quæ de Barcinonensis Concilii Canone, non definiendo, sed propè conjectando ausi sumus. Nam deficientibus monumentis, quibus causam finire possimus, conjecturas emendicare compellimur. Erunt fortasse qui me reprehendent, quod in quæstionem novam consulto, et cogitato inciderim. At ego benevolos objurgatores placare, non recusare volo. Pretiosa hæc nostra Ecclesiæ monumenta tam diuturna oblivione sepulta erant tandem in lucem eruenda. Parum autem interest, a quo fiat, dummodo id fiat. Quoniam priores hominum, præsertim juniorum, cogitationes, posterior doctiorum cura emendant, augent, locupletantur. Hoc sufficit nobis, quod in argumento novo, ubi nullum, quem imitaremur, habebamus, quæ probabilia visa sunt, ea exposuimus. Si quis vero sic nostra rejiciat, ut meliora adducat, volentes, ac libentes amplectemur.

Legi die 4. Januarii 1775.

F. Augustinus Prats
Ord. Præd.m

UC 315

Jussu Exmi. Domini Vet. legi, Exc. Dom., lucubrationem super
Canonem I videlicet: Psalmus quinquagesimus ante Canticum dicatur,
Concilii Barcinonensis An. 540., editam à Socio nostro R. P. L. Fr.
Augustino Prats Ord. Praedicatorum, ac conferens documenta cum documentis,
priorem Authoris sensum cum posteriori, non sine maxima animi jucun=
ditate iterum iterumque relegi. Indefessus etenim labor in evolvendis
perobscuris Antiquitatis Monumentis; selecta ex multiformi Hierurgiae
disciplina eruditio ad critices rationem vocata; accurata adinventi=
onis methodus excitatae huic causae dirimendae, congruâ cum distri=
butione, ornatu, ac Latinitatis puritate conjuncta; et, quod inter caetera
mihi prae omnibus est, primorus sensus tàm solicita investigatione capti=
vatus genuinam refert speciem ingenui, candidique animi lucubratoris;
qui non pro tuendo semel concepto sensu antiquorum Saeculorum umbras
evolvit, sèd vèl tenui saltèm quâ potest luce à priscis documentis ad nos
usque derivatâ, diligenter introspicit, ut Academiae nostrae adjumentum
sit obscurae aperiendae veritati.

Arriserat ipsi praefatum Canonem assiduè meditato, Psalmo 50. totum
Nocturnum Officium, quoniàm Gothico more à Psalmo 50. ordiebatur,
Cantico verò Psalmos Graduales, Canone Synodi Barcinonensis non antè, sèd post
Nocturnum Officium recitandos significari, vèl maximè quod in Con-
stituto pro nostra Ecclesia Barcinonensi, privilegio Alexandri III. roborato,
in Constitutionibus pro Reformatione Capituli editis An. 1288., et in Inspi-
sitionibus Beneficiorum Sedis Barcinonensis Saeculi XII, et XIII. injuncta
legitur Presbyteris assistentia Divinis Officiis à Cantico Graduum usque
ad Completorium, cujus moris constantiam in Provincia Tarraconensi firmat
Breviarium Eccla Ilerdensis, licèt scriptum Anno 1479, ab autographo ex

ab dubio antiquiori exemplarium, primâ Rubricâ habens: Manè surgimus ad Matutinas, et factâ Oratione incipimus Canticum Graduum &c. Atque esto in his, quae prolata sunt, Monumentis, Canticum Graduum ante Nocturnum Officium recitandum praescribatur, PP. Concilii Barcinonensis scitè, prudentèrque postponendum eclipsere; nàm Saeculo VI. Nocturnum Officium mediam circitèr Noctem persolvebatur; à Saeculo autèm VIII. hoc observantia remitti coepit, et Nocturnum Officium in Mane sequens rejectum, Matutinum Officium est appelatum.

Verum verò quàm levia hoc momenta, quàm debilis sint hae conjecturae Lucubrator ipse novit, et fatetur ingenuè: calamitatibus temporum sàt notis crediderim factum esse, non modò non apparère, verùm nèc in Nostra Ecclesia, nèc alibi extare documenta fidem facientia, Canticum Graduum VI Saeculo in Nostra Ecclesia fuisse quotidiè recitatum. Ab observantia persolvendi Officium Nocturnum mediam circitèr Noctem fuit aliquantulùm quidèm deflexum Saeculo VIII.; viguisse nihilominus priscam Nocturni Ritus disciplinam in Cathedralibus praesertim Ecclesiis, et Parochialibus Saeculo IX, Saeculo XII, et adhùc Saeculo XIII., monumentis non spernendis ostendit Martene Lib. 3. de antiquis Ecclesiae Ritibus. Cantica insupèr Graduum terna Oratione distincta Nocte à Monachis recitata apud Bollandum in Vita S. Joannis Gorziae Abbatis Cap. 9. die 27. Febr. commemorantur: hic verò creditur obiisse Anno 962. Ipse S. Benedictus Anianensis Abbas Monachis suis praescripsit ante Nocturnum recitanda; quinque nimirùm Psalmos pro omnibus in toto Orbe terrarum vivis, tùm quinque pro omnibus Defunctis, totidem pro iis, qui nuper è vivis excessere. Cluniacenses Saeculo X. Christi Ecclesiae nati etiàm ante Nocturnos, Psalmos Graduales ordinarunt persolvendos. Consuetudines Canonicorum secundum Regulam S. Augustini, quam forsan Majores Nostri servuerunt, in Nocturnis Officiis factâ trina Oratione Canticum Graduum praecipiunt cantandum, et quidèm per totum annum, singularibus quibusdam tantùm diebus exceptis. Ac, cùm hoc ita sint, quonam

Martene Tom. 3. de Antiq. Eccle. Ritibus.

Bolland. citat. ab Emin. Card. Bona de Divina Psalmodia Tom. 2. Cap. 15. § 1.

Consuetud. Canon. secundum Regul. S. August., sicut et Ritum Cluniac., et S. Bened. Anianen. Abb. exibet Martene Tom. 3. de Antiq. Eccle. Ritib.

exit, quaeso, argumenti firmitas ex Instrumentis, quae Concilio Barcinonensi nec coaeva sunt, nec coaevis proxima, desumpta? Quo vis inrebus Divinae precationis, quae annorum fluxu in eadem Provincia, imò et Ecclesia, varios habuerunt Ritus? Quo consecutio ex his, quas brevitati consulens, pressius subjungo positiones? Saeculo VIII aliquantulum remissa est consuetudo persolvendi Officium Nocturnum mediam circiter Noctem: Saeculo X à pluribus constitutum Psalmos Graduales persolvi ante Nocturnas vigilias: posteriorum Saeculorum Instrumenta habent Canticum Graduum in Sede Barcinonensi recitandum ante Matutinum Officium: documenta insuper non apparent fidem facientia Saeculo sexto genus istud precationis hoc vel illo ordine constitutum fuisse in more nostrae Ecclesiae: Ex his inquam positionibus quis non videat quàm illegitima hoc consecutio? PP. igitur Concilii Barcinonensis circa medium Saeculi VI Canone suo Canticum Graduum recitandum post Officium Nocturnum edixere.

Quod verò Nocturnum Officium per Psalmum 50. indicaretur, indè quod Gothicum à Psalmo 50. ordiatur, abundè ac solidè dissolvit Lucubrator; quoniàm, cùm de Saeculo VI. agimus, non quale hodiè habetur Mozarabicum à Psalmo 50. exordium ducens retinebat Provincia Tarraconensis, sed illudmet quod sibi Apostolici S. Jacobi ~~Disci~~ Discipuli à B. Petro missi nobis Româ detulere: Provincia Tarraconensis Legum, et Canonum observatrix, uti demonstrat Cl. Florezius, sub Barbarico furore Gothorum, à vigore Ecclesiasticae disciplinae minimè deflexit; alia Sacramentaria, aut Ritum, quàm primitivum Romanum in functionibus sacris ea non tenuit, sed quem prius à S. Sede accepit, ad Concilium usque Toletanum IV. conservavit. Quo sanè ritè rectèque in Dissertatione perpenso, usque dum appareat primitivum Romanum Officium, aut psallendi Ritum in omni Tarraconensi Provincia per Concilium Gerundense An. 517. servari

vidend. Florez tom. 3. Hisp. sacra

mandatum à Psalmo 50. initium habuisse; aperta res est non licere ex Psalmo 50., Canone I. Concilii Barcinonensis, Canticum postea recitandum augurari.

98 Quamobrem quia Canone, in cujus Interpretatione versamur, Canticum aliquod, et unum duntaxàt haud denuò instituitur, imò per habetur in Ecclesiasticis Officiis tunc temporis dici solitum, cui Psalmus 50. constituitur preponendus; alia commodior causa dirimenda Lucubratori aperta est via, per singulas Divini Officii partes ad Chronologicae rationem discurrendo: et nisi mea me fallat opinio, quantum involuta illa tempora permittunt, felici sorte complevit. Cantica ex Sacris Scripturis accepta, quibus vocis modulatione inter lamenta hujus vitae exultat animus, ob magnam cum Psalmis affinitatem perindè ac Psalmos in Officiis Sacris ab initio complexa est Ecclesia. In quanam verò Divini Officii parte Saeculo VI Canticum diceretur? Instrumenta probatae fidei notum faciunt non in Vespertina Synaxi, aut aliis constitutis diei horis, sed in Matutinis duntaxàt laudibus, et Romanam Ecclesiam, et Gallicanam singulis diebus Canticum cecinisse. De Gallicana Ecclesia ad Matutinas laudes, et Canticum, et ante illud Psalmum 50. decantari medium circiter Saeculi VI in more positum esse, evincit Testimonium ex S. Gregorio Turonensi. Romana item Ecclesia, velùt ab exordio suo unicuique diei unum Canticum assignavit pro Matutinis laudibus; septem videlicèt à Veteri Testamento accepit Cantica, quae totidem diebus Hebdommadae voluit accommodata, eamdemque modò servat distributionem in Officio de Tempore. Id accipimus ex Regula S. Benedicti, qui postquam ad Matutinas laudes Sabbati assignavit Canticum Deuteronomii, subjungit: nàm caeteris diebus Canticum unumquodque die suo ex Prophetis, sicùt psallit Ecclesia Romana, dicatur. Hoc sanè documenta, si ad invicem conferantur, Consuetudinis

Reg. cap. 13. Sabbato Psalm. 142., et Canticum Deuteronomii, quod dividatur in duas Glorias; nàm caeteris diebus Canticum unumquodque die suo ex Prophetis, sicut psallit Ecclesia Romana, dicatur.

istæ Ecclesiæ Romanæ, et Gallicanæ indicare videntur Canticum in
nostra Ecclesia tempore Concilii Barcinonensis recitari solitum esse non
promiscuè veteris, vel Novi Testamenti, ut eruditis pronuntiavit Dissertator,
sed definitè Canticum unum ex Prophetis, et huic per Canonem 1. adji=
citur præponendus Psalmus 50. Fieri enim vix potest ut in Ecclesiis ita
discretis idem omninò invaluisset, nisi ab eadem fonte promanasset, Romanâ
videlicet Ecclesiâ, à qua ceteræ Occidentales cum suis Ritibus, et Officiis
institutæ sunt. Accedunt aliæ Conjecturæ, quæ Sententiam juvant
verè probabilem, verosimilem, minimèque absurdam. Sed::: Quid Cen=
sorio munere fungi conetor? Incassum aut emendare, aut probare con=
tenderem, quæ Academia nostra judicio suo commendavit, àc iniquus fi=
erem Exc.mo D.no V.o, Dissertatori, et mihimetipsi, memor acclamationum, quibus
Dissertatio non vulgari plausu audita fuit, communique sensu probata.
Nec aliud mihi superesse arbitror, quàm, etsi impares, quas possim gratias
referre Lucubratori, quod pretiosa nostræ Ecclesiæ Monumenta è tenebris
oblivionis eruerit, adunata luce illustraverit; ipsumque rogare quod per=
vigiles oculos suos convertens ad annos antiquos alia, et alia edat, àc
frequens, ad Academiæ nostræ incrementum, abundè proferat de thesauro
suo nova, et vetera.

Barcin. 8. Martii 1775.

Josephus de Barrera